

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 53012/17 CG**

**N-NN seu L-LL**

**Nullitatis matrimonii**

**(X – Y)**

***Incid.: Querelae nullitatis contra decretum rotale diei 4 maii 2017 et recursus adversus denegatum novum causae examen***

**DECRETUM**

Sententia nullitati favorabili ob errorem viri actoris in qualitate mulieris conventae a Tribunali Interdioecesano N die 25 februarii 2012 prolata, Tribunal Regionale Z, causa ad ordinarium examen admissa, die 30 novembris 2016 affirmative edixit, seu constare de matrimonii nullitate.

Proposuit inde pars conventa apud Rotam Romanam petitionem novi causae examinis una cum querela nullitatis adversus sententiam Fori Regionalis Z.

Reiecta in limine die 3 maii 2017 ab Exc.mo Rotae Romanae Pro-Decano utraque provocatione , recurrat pars conventa ad H.S.T., quod primum, decreto nempe die 2 octobris 2018 lato, querelam nullitatis in limine reiecit, quam adversus reiectionem nulla impugnatio praebita est.

Actis causae a Rota Romana exquisitis iisque receptis atque parte actrice ad normam *Legis propriae* certiore facta ac breviter die 3 novembris 2018 per litteras interveniente, Rev.dus Defensor vinculi deputatus animadversiones pro vinculo die 7 decembris 2018 prompsit dum Rev.mus Promotor Iustitiae suum pro rei veritate votum die 18 februarii 2019 porrexit.

Quibus praehabitis,

**SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL**

Viso praescripto art. 122, n. 2, const. ap. *Pastor bonus* vi cuius H.S.T. cognoscit recursus, in causis de statu personarum, adversus denegatum a Rota Romana novum causae examen;

Prae oculis habito quod:

- novum causae examen duplum post decisionem in causis de statu personarum novis iisque gravibus probationibus vel argumentis allatis concedi potest (cf. can. 1644, §1);

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 53012/17 CG

- novae probationes iuxta communem et constantem H.S.T. iurisprudentiam graves censemur quae decisionis reformationem probabilem reddunt (cf. decretum Congressus diei 20 octobris 1997, in una *Pampilonen. seu Tudelen.*, prot. n. 27739/97 CG seu fundatam efficiunt spem (cf. decretum Congresus die 15 maii 1989, in una *Mediolanen.*, prot. n. 20688/89 CG) exitum causae reformandi, quin necesse sit ut sint gravissimae, multoque minus decretoriae, quae scilicet contrariam decisionem peremptorie clament; nam si reformationis possilitas non sufficit, certitudo moralis de reformatione non requiritur;

- inde ab exordiis Signaturae Apostolicae restitutae, a causa scilicet Paderbornensi ab H.S.T. die 10 maii 1919 decisa atque a Summo Pontifice die insequenti confirmata (cf. AAS 11 [1919] 295-299), alia factispecies retractationis admittitur, id est si in causa forsan probationes «minus aestimatae fuerint quam meruissent» (*ibid.*, 299), quam iuris doctores *perversionem factorum* nominare consuevere;

- in Congressu die 26 septembbris 2006 habito, in una *Neapolitana, Novae causae propositionis*, prot. n. 38025/06 CG (publici iuris facta in *Apollinaris* 83 [2010] 390-392), decretum latum est, quo confusio a Iudicibus peracta inter criteria probationis a iurisprudentia rotali elaborata, «errori iuris assimilanda», uti novum argumentum de quo in can. 1644 accipitur;

- in utroque casu, ad novum causae examen concedendum, opus est imprimis examini subicere motiva quibus sententia impugnata innititur, seu structuram uti aiunt – probatoriam decisionis; dein videre quae motiva re vera a novis et gravibus argumentis allatis vel a perversione factorum invocata impetuntur; denique diudicare utrum, necne, structura illa probatoria – impetitis demptis motivis – adhuc decisionem illam sufferre possit;

Considerato quod Cl.mus partis conventae recurrentis Patronus in impugnatam sententiam animadvertis ob praetermissam communem iurisprudentiam rotalem, quae ad nullitatem matrimonii decernendam ob errorem in qualitate personae ratio habet criterii s.d. aestimationis, id est an asserta qualitas intenta satis circumscripta sit ac non nimis communis, atque criterii s.d. reactionis, id est quando compertum fuerit assertam qualitatem intentam defuisse et quid inde pars, errore detecto, fecerit, et ad rem animadverso quod argumenta allata paria sunt ad probatoriam impugnatae sententiae structuram submovendam; nam:

- asserta qualitas intenta satis circumscripta haud appetet: in impugnata en-im sententia asseritur quod «è risultato provato che l'attore giunse al

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

passo del matrimonio perché si era convinto, grazie ad una frequentazione assidua con la convenuta, che questa fosse una donna religiosa, preoccupata dell'affermazione professionale e, soprattutto la donna giusta con cui mettere al mondo un figlio»;

- quae qualitas ceterum nimis communis appareat , uti deducitur ex impugnata sententia, quae qualitatem diverso modo circumscribit ex asserto eius defectu: «[L]a convenuta si rivelò una donna molto fragile e poco preoccupata della propria realizzazione professionale, poco attenta alle necessità del marito e della figlia, poco attenta alla cura della casa, non preoccupata di assolvere i propri doveri religiosi e incapace di fare la mamma» (*ibid.*);

- vir actor tantum circiter novem post annos convictus coniugalis assertae qualitatis intentae defectum comperuit, adeo ut prudens dubium permaneat num reapse asserta illa qualitas tempore nuptiarum defuerit, immo num ipse vir aliquam occasionem habuerit de asserta qualitate ante nuptias dubitandi;

- asserto errore detecto, non autem vir actor sed mulier converta gressum reapse in actum redigit ad separationem uti aiunt civilem efficiendam;

Haud postpositis animadversionibus a Rev.do Defensore vinculi deputato in decretum a Rev.mo Vicario iudicali Fori Regionalis Z die 18 septembris 2014 editum prolatis, quippe quod integri Collegii, causam ad ordinarium examen remittentis, subrogationem statuit absque expressa causa gravissima, uti econtra praescriptum in can. 1425, §5 explicite cavet;

Viso praescripto sub altera parte, num. 3, Rescripti circa novam legem efficiendam atque servandam de processu matrimoniali a Summo Pontifice die 7 decembris 2015 dati (AAS 108 [2016] 6);

Vi artt. 33, n. 2 et 58-61 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Praefecto die 28 februarii 2019 habito,

**decrevit:**

**Novam causae propositionem in casu concedendam esse atque facto concedi, et ad mentem.**

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 53012/17 CG

**Mens haec est: partes, si velint, intra terminum triginta dierum ab hoc decreto intimato, Commissionem Pontificiam ab H.S.T. petere possunt.**

Cautio pro expensisprocessualibus in arca H.S.T. deposita retinetur. Pars suo Cl.mo Patrono congruum solvat emolumentum.

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 28 februarii 2019.

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

+ Iosephus SCIACCA, *Secretarius*